

MARIANVS FULDENSIS MONACHVS.



Marianus inter monachos Fuldenses ordinis S. Benedicti ob eruditionem in magna autoritate fuit, anno Christi 1086. Scripsit is ab initio mudi ad sua tempora usq; Chronica: præterea de concordantia Euagelistarum librum unum, & librum de Computo. Reliquos etiam suo exemplo ad litterarum studia incitauit, & eius loci celebrem scholam suis uigilijs multo celebriorem reddidit. Itaq; factum ut suis monumentis uiuens in magna existimatione, ac moriens apud posteros ingenti gloria cognitus fuerit. Gess, in Bibliotheca.